



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**R. P. Maximiliani Sandaei E Societate Iesv Doctoris
Theologi Architectura Christiana**

Sandaeus, Maximilianus

Coloniæ Agrippinæ, 1653

7. Ædificium Operum meritorium ab uno exstructum in cælo transfertur
aliquando ad alium.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-46065](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-46065)

ARTICULUS VII.

ÆDIFICIUM OPERUM MERITORIORUM

Ab vno exstructum in celo, transfertur aliquando ad alium.

ID quomodo contingat, docebit sanctus Patriarcha
 Joannes Eleemosynarius, cuius Elogium hoc habet
 » Fasti Mariani *Ianuarii* XXXII. [Cùm annum ageret
 » JOANNES, Misericordia Divina, manifesta in luc
 » Sponsam se illi obtulit. Annuit continuo. Et raru
 » conjugium Superi habuerunt, dotem que addideru
 » tam opulentam, vt semper deinde haberet, quod te
 » egenos effunderet. Archiepiscopus jam Alexand
 » nus, lustrum egit clientum suorum, hoc est, paups
 » rum, numeravit que septies mille, & quinquaginta
 » quibus omnibus deinceps in singulos dies victu
 » subministravit. Sed nec vlli alii piam manum v
 » quam subduxit. Ut meritò id certaminis cum De
 » suscepisse sit visus, plusne hic dare, an reddere illi po
 » set. Munificentiam vel ex eo vide, quod vltimè
 » ægrotanti vnicus super teruncius fuerit, vix nauula
 » morituro. Ipse in testamenti sui tabulis reperisse
 » genuè se fatetur in ærario auri pondo octies mille,
 » hæc decies millies, & amplius aucta dilapidasse
 » pauperes gloriatur. Anno igitur D. XCII. è corpor
 » ergastulo in Palatium abiit, quod piæ ipsius mun
 » centiæ structum in celo Troilus vidit, & verò inu
 » postea, cū tā bonæ prodigalitati æmulus est factus
 Id fusius describitur in *Vitis Patrum*, vnde hæc accipit
 Joannes Patriarcha pauperum parens cùm Troilus
 Episcopum itineris socium haberet, clientes filiosque
 suos egestate pressos inuisit, & quia ad manus non ha
 bebat pecuniam, monuit Troilum, cui fortè triginta
 libræ auri in promptu erant, benefaceret. Distribuit

mos, quos habebat, quamvis inuitus, verecundia instigante Troilus. Sed vix manum retraxerat, & sordidum liberalitatis pœnituit. tantumque potuit auri sacra fames, ut morbum contraxerit, vel fixerit. Non latebant Eleemosynarium sordes Troili. Inuisit decumbentem humanitatis ergo: & post solemnia consolationis officia, aurum offert, eadem summa refundendum, dicens, sibi in animo fuisse, pecuniam pauperibus distribuere; sed quia sibi marsupium exhaustum erat, commodato se accipere voluisse, nullo Coëpiscopi, fratris sui incommodo. Itaque se adnumeraturum, si placeat. Annuit Troilus, à quo aurum visum mox morbum discussit. Petit autem Joannes apocham, qua de pecunia Troilo reddita constaret. Eam promptè conscripsit Troilus hac formula: DEUS DOMINO meo Joanni Beatissimo Patriarchæ da mercedem xxx. librarum: quoniam ego æs meum recepi. Sed quàm væcors fuerit Euclio, DEUM demonstrasse hoc viso, scribitur. Cùm à prandio, ut mos illi erat, paullulum meridiaretur, semi sopitus, vidit DOMUM, ut narrabat deinde vigil, cuius magnitudinem, pulchritudinemque; ars hominū nulla exprimeret: porta erat aurea, supra quā hæc inscriptio, capitalibus litteris: MANSIO ÆTERNA, ET REQUIES TROILI EPISCOPI. Vix se capiebat Troilus: cùm ecce quidam ex regis ministris cum satellitio ad Domum recta vadit, jubetque auferri titulum: quo detracto, edicit: Reponite, quem conscribi iussit Rex orbis terrarum, & vidente Troilo, affixerunt his conceptum verbis: MANSIO ÆTERNA AC REQUIES JOANNIS ARCHIEPISCOPI ALEXANDRINI EMPTA LIBRIS XXX. Experrectus Troilus, quæ viderat narravit Patriarchæ, tantumque profecit, ut damnatis sordibus, liberalissimum se deinde pauperibus exhibuerit. Nimirum, edoctus erat, operibus misericordiæ, Domos æternas in cælo construi.

AR-